

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Varenius Sebastian Andreas Loranowicz

**Rationarii Theologici De Scriptoribus Ecclesiasticis Dissertatio V. : Iudicium
publicans de variis Epistolis Sub vetustis & Sanctioribus, ipsoq[ue] Sanctissimo
Jesu, & Matris quoque ts Theotochu nomine suppositis Seculo primo**

Rostochii: Richelius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740015087>

Druck Freier  Zugang



Ru Mol 1664

August Varenius 18

Prof. Sebastian Andreas Loranowicz

V

RATIONARI THEOLOGICI

De Scriptoribus Ecclesiasticis

DISSERTATIO V.

Judicium publicans de variis Epistolis

Sub vetustis & Sanctioribus, ipsoq; Sanctissimo JESU, &
Matris quoque regni Beatoe nomine suppositis

Seculo primo.

Quam
Moderante SS. TRINITATE
PRAESEDE

AUGUSTO VARENIO, D.

Serenissimorum Ducum Meckleburg. Consistorii Af-
fessore, & Professore Theologo h. t. Academiz Ro-
stochiensis Rectore Magnifico.

Publica collationi d. XII. Junij horis ab 8. ansemerid.

In Audit. Magno.

submitter.

SEBASTIANUS ANDREAS
LORANOWICZ,


Gnesna Polonus.



ROSTOCHII

Typis Jacobi Richelii, Sen. Typogr.

ANNO cœc LXXIX.



(10:1)

145

PISTOLA JESU ad AGBARUM Principem
Edessenorum.

S. I.

Et historiam, & Epistolas Agbari ad JESUM, & JESU ad illum prolixè descripsit Eusebius Pamphili l. i. hist. Eccl. c. 12. & 13. Summa illius est: Agbarus gentium ad Eu-phratem Rex laudatissimus, insanabili morbo corruptus & admirandorum Jesu famam excitus, missa per internuncium Epistolam, supplex evocavit Dominum Jesum Edessam, ad curandum morbum Medicis incurabilem planeq; desperatum. Jesus Agbaro rescripsit (missa per Ananiam cursorem Epistolam) & presentiam quidem suam denegavit, misgurum tamen se post ascensionem ex Discipulis unum, & Agbarum, & Provinciales ceteros, si qui sint vel desperare videntur, curaeurum, promisit, quod & abundè prestiterit, missò mox post ascensionem Thaddeo, non illo ex Collegio rōv Διάδημα (Matth. 10, 13.) sed alio ex Collegio rōv Ἰεροπόντεω, qui Thomæ divinitus impulsu, iverit Edessam, & Regem Agbarum, agnoscentem Epistolæ Jesu veritatem, curaverit, actotius illius gentis hæc occasione conversæ Apostolus fuerit, cuius monumentum, in γέρανῳ Κυλαντίῳ s. archivio Regio Edesseno repertum plenam rei fidem faciat, ubi in tabulis publicis Syriaco Sermone descriptis, hæc & historia & Epistola contineatur, unde in Græcam transferre illam Eusebius voluerit. Accedunt his fabulæ ex Legendis aureis & Petro de natalibus, de Edessa hereticis, Ju-dais, Idololatriis inhabitabili, eademq; hostibus inexpugnabili, de hoste, ad lectam à puero super murum Epistolam, fugitivo. De ipsis Epistolis vid. Baron. in annal. tom. i. a. 31. n. 59. Montacutius in Orig. Eccl. Tom. i. part. post p. 63. Tummius in Sculteto Cacodoxo, qui non improbat.

T

S. 2.

§. 2. Exemplar Epistolæ Agbari ad Christum tale defi-
gnat Eusebius:

**AGBARUS TOPARCHA EDESSÆ JESU SERVATORI
BONO** in regione Hierosolymitanâ apparenti S. P. D.

Renunciatum mihi est de Te, tuisq; admirandis sine medica-
sis vel herbis, factis curationibus. Etenim, sicut fama resert, cœcis
ut respiciant, claudis ut ambulent, præstas, leprosos mundas, Spir-
itus impuros ac Daemones ejicis, eos, qui diutinis ac prolixis morbis
torquentur, curas, ac mortuos excitas. Unde de duobus hisce alter-
utrum verum esse cogitavi, sc. aut Deum te esse, aut Dei filium, qui
tam admiranda patres. Quà propter hā ipsa scriptione vobemen-
ser à Te contendo, ut & accedere ad me, & morbum, quo crucier,
curare haut graveris. Etenim Judeos & obmurmurare tibi & non
nisi mala in Te meditari, audiri. Mihi autem urbs minima qui-
dem: sed honesta est, & quæ utriq; nostrum sufficit.

§. 3. Exemplar rescripti Jesu ad Agbarum sic habet: Ag-
bare, beatus es, qui cum non videris me, in me credidisti. Scriptum
enim est de me, non credituros in me, qui viderint me, ut, qui non
viderint, credant & vivant. Quod scribis ad me, velle, ut ad Te
veniam, scias mibi cuncta, quorum gratiâ missus sum b. l. esse ad-
implenda, & post hæc assumi ad illum, qui me misit. Quò simul
sursum receptus fuero, mittam ad Te meorum discipulorum u-
num, qui & morbum, quo torqueris, curet, & vitam tibi tuisq;
impertiat. Cetera historiæ & adimpleta promissionis ex iis-
dem archivis recenset Eusebius l. alleg. Epistolas quoque Sixtus
Senensis l. 2, Biblioth. Sanctæ. Addit Damascenus l. 4. de fide
orthodoxâ c. 17. Dominum Jesum, vultus sui effigiem huic Agba-
ro eam anxie flagitanti misisse: de qvâ longè ante Damascenum
memoraverat Evagrius bish. Eccl. l. 4, cap. 26. omnium tunc fa-
delium ore ac sermone celebratam, qvin, sacræ illius imaginis
virtute Edessam nunquam ab hostibus subjugatam, nec tunc à
Cosroe Persa expugnari potuisse, quam negabat in s. actione 2.
Concilii Nicæni pro Iconolatria s. religioso cultu imaginum allega-
runt

funt illius Concilii Patres: at explodunt illam ex iphis Pontificis Canus, Costerus, qui pro fabulâ habent.

§. 4. Probandum autem iudicium Gelasii dist. 15. c. Sancta Romana: *Epistola Agbari ad Jesum, & Jesu ad Agbarum, Apocrypha.* Facit pro hoc i silentium Evangelistarum, & in primis Lucæ tūm in hist. Evang. tūm in Actis, tacentis & de Thomā ablegante, & de Thaddæo missio, qvam sanè rem memorabilem præterituri silentio haut fuissent. 2. Repugnat illa epistola, & mora juvandi illi tam luculentæ φιλανθρωπία Jesu & studio juvandi, qui & mulierem Cananæam non inexauditam dimisit Matth. 15, 18. & illius Σαοτλιχ, s. Palatini filium verbo, corporaliter absens, curavit, idem & præstiturus huic Toparchæ, si credidisset. conf. Joh. 4, 50. & c. 6, 37. (3) Agbarus laudatur qvod crediderit, qui tamen an Jesus Deus, an Dei filius esset? dubitavit, & Dei filium Deo opposuit. 4. JESUS non scripsit ἀληθέα: sed hoc Apostolis, velut suis manibus commisit. Alia ratio scripturæ Jesu digiteæ in terrâ Joh. 8, 3. 4. de qvâ vid. Sixt. Sen. Bibl. l. 2,

Epistolæ Mariæ τῆς Θεοτόκου.

§. 1. Harum tres circumferuntur, una ad Ignatium Antiochenæ Ecclesie Episcopum, secunda ad Florentinos, tertia ad Mesianenser, qvas descripsit, & velut genuinas B. Marie Virginis Epistolas vindicare voluit Adrianus Lyreus in Trisagio Mariano, sicut tamen, ut non has solū: sed longè plurimas Virginem matrem scripsisse, confidenter asserat, ex qvibus, cum ceteris temporum vetustas non pepercere, paucæ & nonnisi hæ tres, velut raræ, de majore naufragio, tabulae supersint vid. ille in Trisagio l. 2. modo 26. de qvibus nunc ordine agendum.

§. 2. Exemplar Epistolæ, qvam ad Ignatium responsi loco dedisse fertur, sic habet: Ignatio dilecto discipulo, humiliis ancilla Christi Jesu.

De Jesu que à Johanne didicisti, & audisti, vera sunt. Illa credas, illis in bereas, & Christianitatis votum firmiter tencas, & moi-

res ac vitam voto conformes. Veniam autem unā cum Johanne,
te & qui tecum sunt videre. Sta, & in fide viriliter age, nec te mo-
teat persecutionis austeritas: sed valeat, & exultet Spiritus tuus in
Deo salutari tuo. Amen.

§. 3. Altera, quam ad Florentinos mississe dicitur, sic habet:
Florentia, Deo ac Domino Iesu Christo filio meo, & mihi
dilecta, tene fidem, in ista orationibus, roborare patientiam! His e-
nim salutem apud Deum, & apud homines gloriam consequeris.

§. 4. Tertia est, quam ad Messanenses scripsisse traditur
in hunc modum. Maria Virgo, Joachim filia, humilissima Dei an-
cella, Christi Iesu crucifixi mater, ex tribu Juda, stirpe David, Mes-
sanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem!

Vos omnes fide magnâ, legatos ac nuncios per publicum docu-
mentum ad nos mississe constat. Filium nostrum Dei genitum, De-
um & hominem esse fatemini, & in cælum post suam resurrectionem
ascendisse, Pauli Apostoli prædicatione mediante viam verita-
tis agnoscentes.. Ob quod vos & civitatem vestram benedicimus,
cujus perpetuam protectionem nos esse volumus. Anno Filii no-
stri 42. 3. Non Junij lunâ 27. feria quinta ex Hierosolymis. Sub-
scriptum:

MARIA VIRGO.

§. 5. Prima habetur quoque apud Sextum Senensem Bibl.
l. 2. verbo Maria, & in Bibl. Patrum tom. 3. edit. 3. omnes autem
tres citantur & habentur apud Petrum Canisium l. 5. de Deipara
& Virgine, probanturq; velut genuinæ Mariæ virginis ~~beonia~~
Epistolæ, sub cuius nomine confirmatur ex eis dogma de sum-
ma Mariæ diligentia in charitate proximo exercenda, item: Vir-
ginem Mariam de multorum, etiam absentium, langeq; dissitorum
salute non parum solicitam fuisse.. Idem judicium Ferreoli Locry
in Mariæ Augustâ l. 5. c. 37. assidentis, ipsas Epistolæ vere genuinas
esse..

§. 6. Obstat cunctis silentium Veterum, quod non so-
lum ex

Item ex 3. seculis propioribus Mariæ, nemo: sed nec Eusebius,
qui superiores Agbari ad Jesum, & Jesu ad Agbarum silentio
non prætermiserat, nec Hieronymus, vel Ruffinus, imo ne Ni-
cephorus quidem seculo 9, nec ullus veterum meminerit ullius
harum Epistolarum. Allegat quidem Lyræus pro fide illarum
Epistolarum & sigillatim pro 1. Flavium Lucium Dextrum in
Chronico ad a. 430. pro 2. Hieronymum Ferrariensem, qui in ur-
be Florentinâ d. 25. Octobris anni 1495. illam velut genuinam
Mariæ pro concione interpretatus sit, & Johannem à Cartage-
nâ, qui tom. 3. l. 4. hom. 1. urget antiquissimam, immemorabilem
celeberrimamq. Florentine urbis traditionem, quod B. Virgo eam
per Epistolam salutarit, pro 3. præter antiquissimam Messanensi-
um in Siciliâ traditionem, Fl. Lucium Dextrum ad a. salutis 86.
Constantinum Leſcarem in prologo ad Epistolam 3. qui Hebraicè
à Mariâ scriptam & jam olim Græce translatam, ex Graio ser-
mone in Latinum transmiserit, Mutium Justinopolitanum l. i. hist.
c. 13. Martinum Navarum l. de Orat. c. 21. P. Canis. l. 5. c. 15. I.
Petrum Odeſcalcum in insituto devotionis B. Virg. discursu 8. sed
recentiores sunt hi omnes, & quibus opponitur ex ipsis Pon-
tificiis Joh. Mariae sacrj Palati Apostolici Magister, & quem
Lyræus, velut cetera hæc religiosorem citat, quippe qui primam
illam rejicere ausus non fuerit, Baronius, & Christophorus à Ca-
stro in Roseto Mariano c. 84.

S. 7. Verum Baronius annal. Tom. I. ad a. 48. n. 25. Fer-
tur, inquit, ejusdem Dei genitricis Epistola ad Ignatium redditam:
sed Hieronymus, Galij antiquiores, & illam, & Ignatij ad Mariam
non neverunt. Idem ibidem: Traduntur, inquit, & alia Episto-
la à Mariâ ad alias scriptæ civitates, quas cunctas, cum careant Ec-
clesia autoritate, nonnisi in Apocryphorum classem resiciendas esse
omnes facile judicabunt. Ita Bell. l. d. S. E. in Petro, Quamvis in-
veniatur Epistola B. Virginis ad Ignatium, quia tamen non habetur
in Codd. Græcis, neque ejus meminerunt veteres ante S. Bernhar-
dum: proinde non constat an sit vere B. Virginis Epistola? Appa-
re, traditioni illi, quam alii vocant antiquissimam, parum
T 3 fidem

150 DE SCRIPT. ECCLESIASTICIS

fidei dedisse Baronium. Et habet tertia Epistola cothurnos, & Idiotismos Italos magis, qvm vel Syros, vel Hebreos, qviq; parum conveniunt humillime ancille Dei, maximè si conferatur illa, qvam Lascaris narrat fabula, de Messanensibus, qvi Paulum Regio vocaverint, sciscitatum ab illo multa de Matre Dei, & accenso pietate animo legatos miserint Hierosolyma, ad Mariam Virginem, additis ad Mariam, Epistolis, & Legatis sic instruetis, ut civitatem velut clientem Virginis tutelæ & protectionis commendarent, qvâ legatione & Epistolis Messanensium mota Maria, & civitatem in tutelam receperit, Protectionemq; perpetuam civitati se futuram promiserit: sed & hoc ipsum Protectoriū epistolā Messanensibus inscriptā ac Legatis traditā, confirmaverit. Agnovit qvoq; Georgius Colbenerius qvi genuinam Mariæ defendit, præambulam illam salutationem modestiæ Virginis non convenire, atq; inde vult, illam sive à posteris adjectam, sive ab aliquo Notario conceptam buc immigrasse. Verius idem de totā Epistolā licet affirmare, nec minus de illā, qvam duobus devotis Ascetis ordinis Capuccinorum, in itinere ad natalem Virginis domum Lauretanam, ipsa Virgo Deipara circa a. 1620, tradidisse, qvæq; apud Camerinensium principem seruari dicitur, qvâ de re bellam fabulam legerelicit apud Vincentium Charronium Eccles. Cathedralis Nannetensis Canonicum in Kalendario historico ad diem 10. Decembris, & Epistola qvoq; in Trisag. Mar. Lyræ p. 194.

Epistolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.

S. r. Feruntur octo Epistolæ Senecæ ad Paulum, & Pauli sex ad Annæum Senecam. In quas Jacobus Faber, Vienensis Episcopus scripsit commentarios. Epistolas ipsas descriptis Sixt. Senensi. Biblioth. sacrâ l. 2. vocabulo Paulus, ubi cunctas invenire licebit. Et Sextus quidem probasse videtur, has, qvæ nunc extant, esse illorum, qvorum nomina præferunt, autorum, Pauli & Senecæ, qvis prævidens argumentum styli, quod in

CONTRA-

SECVLUM I.

contrarium militare videtur, objici posse, occupat, &, videtur, inquit, Seneca stylum suum aliquantulum in his Epistolis obumbrasse, idq; de industria, ut si forte in alienas manus Epistola deve- nissent, et si inscripta nomine Seneca, potuissent nihilominus vide- ri non esse Seneca, quandoquidem periculum, Et contra Imperato- ris tunc erat edictum, Romanum uti familiaritate Christiani vel Judei. Citat Sixtus, velut assertionis suæ testes, Linum ex Se- culo I, Hieronymum ex seculo 4. Augustinum ex seculo 5. qvorum hic & ille communicatorias iuter Paulum & Senecam interces- sisse testantur, Hieronymus autem motus superiorum titulo- rum Epistolis, Senecam in Catalogo Sanctorum posuit conf. hic lib. de Script. Eccles. Aug. ep. 54. ad Maced. Et 6. de civ. Dei c. 10. Ad- datur his Joh: Sarisbariensis, qui decipere dicit eos, qui non ve- terentur Senecam, quem Apostolicam familiaritatem meruisse con- flat. Origo opinionis debetur fabuloso Lino in actis passionis Pauli, ubi hæc leguntur: Institutor Imperatoris adeò est illi (Pau- lo sc.) amicitia copulatus, videns in eo diuinam scientiam, ut se à colloquio illius temperare vix posset, quo minus, si ore ad os eum al- loqui non valeret, frequentibus datis Et acceptis epistolis, ipsius dul- sedine Et amicabili colloquio frueretur. Et sanè hæc autoritas Pseudo Lini Sixto Senensi imposuit, ut revera has illorum Auto- rum Epistolas judicaret, & de industria Senecam stylum, ne prode- retur, demissile existimaret: unde liquet (verba sunt Riveti in Critico sacro) aliquando opiniones nonnullas à vero alienas, ex falsis Actis, etiam doctis alioqui Viris aut fuisse persuasas, aut in medio relietas, nec ex eorum approbatione aut usurpatione semper de rerum veritate, si præsertim alia repugnant, judicandum esse.

§. 2. Ceterum alia est qvæstio de familiaritate quadam Pauli Et Seneca, de scriptione item, an aliqua talis inter Paulum Et Senecam intercesserit? qvod utrumq; et si non est certum, ta- men probabile. Alia qvæstio de Epistolis, qvæ nunc & jam du- dum sub illo nomine circumferuntur, an sint revera illorum autorum? qvod negatur. Fuerint aliquæ: sed non istæ, qvæ, si quales nunc sunt, tales fuerunt tempore Patrum, desideran- dum

152 DE SCRIPT. ECCLESIASTICIS

dum sane in illis approbantibus fuerit judicium. Certum ex stylo, quæ nunc sub diverso nomine veniunt, ejusdem esse Autoris, atque adeò sive alterutrius, sive neutrius illorum: sed potius Semidotti, sive Iudibrii religioni Christianæ addendi, sive styli exercendi causâ, sic componentis & Latinè loqui tentantis illas esse, & Apocryphas planeq; sub tantis nominibus suppositias, & spurias, quin totum illud commentum de Pauli & Seneca Epistolis fluxit ex actis passionis Pauli, nomine Linii confictis. conf. Rivet. l. i. crit. sacer. c. 5.

S. 3. Recte de illis judicavit Scholiis in Hieron. de Script. Ecclesiast. Vir summi in his literis ingenii Erasmus. He, inquit, Epistolæ falsò inscribuntur Paulo & Seneca. Nihil in illis est, sive Paulo dignum, sive Senecæ. Nec minus agnoscit harum Epistolarum vanitatem Baronius Annal. Tom. i. ad a. 66. n. ii. ita disserens: Extat Seneca nomine Epistola ad Paulum, de incendio Neroniano: sed meā sententia ab alio quoquam potius fiducia videtur, quam à Senecæ scripta, cum tam aperta in eā afferantur mendacia. Notat idem errores de numero regionum urbis Romæ à Nerone exustarum, & prochronissimum insignem ac illi Pseudo-Senecareferenti opponit Tacitum & addit: Quapropter reliquæ illæ, sum ad Paulum conscriptæ, tum à Paulo ad eum redditæ, quæ nobis suspectæ reddituntur, quavis scimus eas non recentes esse excogitatas: sed antiquitus scriptas, & à S. Hieronymo cognitas atque probatas. Possevinus quoque apparatu Tom. i. in initio ad Lectorem, testatur, non nullos alios Catholicos credere, Epistolæ sub nomine Pauli ad Senecam, & Seneca ad Paulum, ad exercendum ingenium esse scriptas, sicut paucos ante annos sub Ciceronis nomine prodidit libellus de consolatione ad Filiam. Ludovicus Vives Comm. in Aug. de Civ. Dei l. 6. c. 10. Epistolæ, inquit, que circumferuntur Pauli ad Senecam, & hujus vicissim ad illum, non credo ab illis esse scriptas. Et citat nihilominus illas velut genuinas Salmero Jesuita comm. in Philipp. 4. 22. ut probet, Senecam unum fuisse ex iis in Cæsar's familia, qui salutarii fideles Philippis. Et fatetur idem Disp. 3. in Pauli Epistolæ, ab

Ies, ab aliis quoque citari, ut verè Paulinas, ad probandum,
Sanctum Paulum plures quam 14. Epistolas scripsisse. Illud Sal-
meronis judicium non ferendum quo pronunciare non vere-
tur, Materiam illarum Epistolarum non multum certe distare ab
illis, quas Johannes Evangelista ad electam Dominam, *S. ad GA-*
rum, Paulus autem ad Philemonem scripsit.

S. Martialis Epistolæ.

§. 1. S. Martialem quendam, velut primum Episcopum
Lemovicensem, mirifice aliquando commendant Scriptores
Pontificii, quem non *Sanctum* solum ac Galliarum præprimis
Episcopum: sed *S. Apostolum* unum de 72. discipulis, ipsius Do-
mini Iesu Auditorem & Discipulum appellant, cognomento *Ce-*
pham, quomodo Petrus *Sanctum*, inquit *Divum Martialem* vo-
cat de tradit. p. 3. tit. de *Sacram. altar.* & porrò ait, *Christum i-*
psum vidisse & audisse, Margarinus de la bigne tom. 3. edit. 3.
Bibl. patrum *Confessorem & Apostolum*, Sixtus Senens. Bibl. l. 2.
Cephas, unum de LXXII. discipulis, vocat. Additur à Baron. ad a.
C. 74. n. 15. traditio, quod fuerit ille puerulus, de quo Andreas
olim Domino roganti dixerit: *Est puer hic, habens s. panes, & du-*
os pisces Joh. 6, 9. qui cum fuerit unus ex 72. discipulis, dictus
sit puer, non etate: sed *Hebreorum more*, qui etiam grandioris
etatis homines, pueros nuncuparent (at in fontibus non est
nisi, nec maior: sed maior) factum dein Episcopum La-
movicensem, Galliarum Apostolum, qui ex oriente Romanum cum Pe-
tro venerit, & à Petro in Gallias amandatus fuerit, ubi Lemovicens-
ses, Tolosanos, Burdegalenses, Cadurcenses & Aquitanos populos,
eosq; qui à Rhodano in Oceanum vergunt, ad pietatem Christia-
nam instituerit, honestissimosq; labore perfunditus, anno C. 75. ex
humanis sublatus sit. In indice Chronolog. editionis novæ Bibl.
Patrum ad sec. I. Clementis Romani l. 4. stromatum, judicio,
hunc Cepham illum esse, cui *Apostolus Paulus* in faciem reslitit,
memoratur Gal. 2. 14. sed eam opinionem, ut commentitiam &

186 DE SCRIPT. ECCLESIASTICIS

frigidam meritò rejectam ab Hieronymo, cum, verba sunt Sixti
Senensis l. 6. Biblioth. res ipsa doceat, totum illum sermonem ad E.
Petrum Apostolum Gillius Collegas pertinere, eaq; conslans sit illius
loci (Galat. 2, 14. & seqq.) interpretum. Et Ecclesiasticorum scri-
ptorum sententia. Verum Hieronymus non solum illam Eu-
sebii Cæs. l. 1. hist. Clementis Alex. l. 4. Strom. eandemq;
Oecumenii in collectaneis sententiam oppugnat: sed & o-
mnem alium notum nobis Cephām, præter Apostolum sic cognos-
minatum, negat, & negat adeò quoque hunc Martialem Cephām:
totumq; illud, de Martiali Cephā, pro commento habet, nec opus
esse dicit, in gratiam Porphyry Sycophante novum Cephām fingere,
conf. Sextus Senens. l. 6. Bibl. annot. 275.

Si. 2. Sub hujus Martialis nomine prodierunt Epistolæ
duæ, una ad Burdegalenses, altera ad Tholosanos, qvas in sacrario
Basilicæ S. Petri, in urbe Lemovico, ubi latuerint in arcâ Saxeâ,
sub terrâ defossas, repertas esse tradunt, ita erosas ac deforma-
tas, ut in nonnullis locis ne legi quidem possent, prout scribit,
qui primus eas edidit Badius Ascensius anno 1521. Extant illæ
in Bibliothecâ Patrum tom. 3. & jani ante in Micropresbytico
num. 14. Et sunt sanè ipsis Pontificiis scriptoribus omniac, aliis
quidē ἐμολογούμενοι, aliis autē ἀνταπόμενοι, dum laudantur ab his,
culpantur ab illis. Commendat illas Sextus Senensis Biblioth.
sacræl. 2. ad nomen CEPHAS, velut Domino revelante repertas,
Et venerande antiquitatis pietatem redolenter. Laudat & citat
pro sacrificio Missæ, illam ad Burdegalenses Garetius, contra I-
vellum Hardingus, Anglo-Remensis in Hebr. 10, 11. Lindanus
in Panopliâ l. 3. c. 35. pro invocatione Sanctorum. At minus ca-
rundem autoritatem agnoscisse videtur Possevinus in apparatu
ad vocem Martialis, Baronius, qui in notis ad martyrologium Ro-
manum Junii 30. Lectorem curiosum de duabus Martialis Epi-
stolis nuper inventis, remittit ad annales: at in annalibus
Tom. i. ada. 74. n. 15. Leguntur, inquit, Martialis nomine duas
scriptas.

SECVLUM I.

159

epistolæ, quarum altera est ad Burdegalenses, altera ad Lemovicenses & Tholosanos, conscripta: sed DE HIS aliâs. Nec enim dubium, quin, si pro fide his Epistolis conciliandâ reperire quicquam Baronius potuisse, id omne literis hic mandaturus, nec iudificando, Lectorem à notis in Martyrologium ad Annales, ab his, nescio quò, alegaturus fuisset.

§. 3. Bellarminus autem l. i. de Christo c. 10. *Epistolam,* inquit, *Martialis ad Burdegalenses multis de causis suspicor non esse illius Martialis, qui dicitur fuisse, discipulus Christi.* Idem alibi de utraq; Epistolâ ait: *Videntur, inquit, mihi confitæ.* Sed & in lib. de scriptor. Eccles. *Multa, inquit, sunt, que eas Epistolas suppositicias esse indicare videntur, & post sex exempla allegata concludit: Multa sunt alia, que fidem his Epistolis derivare videntur.* Et nihilominus idem Bellarm. non solum alibi l. 2. de Monachis c. 57. citat *Martialem pro voto continentiam MARTIALIS, inquit, ep. ad Tholos. c. 8.* dicit se *Valeria virginis persuauisse, ut virginitatem suam Deo vareret, sed Cl. i. de Christo: MARTIALIS, in Epistolâ i. ad Burdegalenses c. 25. Nihil, inquit, discreturn in divinitate Trinitatis sentiatis.* Videatur idem l. de Script. Eccles. Pie, inquit, sunt *Sex illis non pauca dogmata confirmari possunt contra nosrit temporis hereticos.*

§. 4. Concludit nihilominus Bellarminus, vel S. Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titulum epistolarum esse falsum, vel Epistolas esse confitatas. Urget (1) quod autor Epistolarum dicat, se cum CHRISTO vixisse, antequam crucigeretur: cum tamen ætas Martialis demum inciderit in a. 254. (2) Mentionem baptizati à se Stephani Regis, & alterius Tyranni cum Satrapis suis. Atque tempore Apostolorum, imò tempore Decii Imperatoris (in quod incidit juxta Gregorium Turonicum l. i. hist. c. 10. ætas Martialis Episcopalis) nulli fuerunt Reges Galliarum: sed hæc Imperio subjecta. Primus sc. Rex Galliarum, Romanis expulsis, fuit Pharamundus, vel hujus filius Cl. comatus a. 429. (3) Scribit Autor Epistolarum, *templa idolorum eversa fuisse, & Ecclesiæ ædificatae*

atas auctoritate Regia suo tempore: at haec non conveniunt scriptori seculi i. Qvo nulli Reges Ecclesiae Filii. (4) Citatur scriptura secundum versionem Hieronymi, qvod certum nobitatis signum. (5) Dicit Autor, se interfuisse, cum aliis discipulis, quando Judas osculo Dominum prodit. At interfueret à parte Christi soli Apostoli, cum qvibus Servator de coenâ surgens in hortum memoratur ingressus. (6) Meminit Valeria in ipsâ Galliâ Martyrio coronate. Contrà, constans historia Francorum habet, martyria primâ intra Gallias visa temporibus M. Antonini: conf. Sulp. l. 2. sacræ hist. Gregorius Turon. l. 1. c. 18.

S. 5. Sanè de cetero extra historiam & ingenitem prochronismum ab ipsis, qvæ in his Epistolis tractantur, rebus, nihil magni opere Catholicæ fidei, nihil vita Christianæ periculi, qvin potius consonantia, & alicubi exhortationes graves ac pulchræ satis, in primis in illâ ad Burdegalenses Epistolâ. Sola vetustas affectata scriptoris, suspectaq; in quæstionibus facti veritas, ipsum; Autorem susp ectum reddit, sic ut haut alio nomine locari mereatur in classe 3. supposititorum. Audacter in inscriptione utriusq; Epistolæ Apostolum se vocat JESU Christi, non solum servum Dei, sic ut prosopopoeiam Apostoli strictè sic dicti ostendat. Ubiq;, & (qvi character Apostoli est) pâpueḡ oꝝvāoew̄ w̄ qñūv̄ r̄ḡ iꝝ ſc̄d̄r̄w̄ lñr̄s f. testem dñr̄t̄l̄o vel oculatum conversationis, mortis, & resurrectionis Iesu Christi, qvi cum Domino Iesu ingressus & egressus omni tempore jam inde à baptismate Johannis, usque ad diem ascensionis, continuata sermocinatione simulat, seq; ipsum appellat, qviq; & inter Apostolos in horto, ad osculum Iude, præsens fuerit, qvi cum Domino Iesu post resurrectionem comedenter & bibenter, qvi velut Apostolus, Dominum Iesum in celum ascendentem viderit, qvæ Apostolis propriè & strictè sic dictis solum competent conf. Act. 1. 21, 22. c. 10, 41. cum contrà, tantum absit, ut inter Apostolos huic Martiali vel alteri Cephæ locus, ut ne qvidem inter aliorum Discipulorum celebrata in sacris literis nomina, illa ex-

Et hujus Cephæ memoria. Conf. nunc ille in Ep. ad Burdegal.
cap. 2. & c. 11. Epist. ad Tholos. c. 3. Christus, inquit, postquam res-
surrexit de sepulcro, conversatus est nobiscum per 40. dies. E conversi
nobiscum non est designatus & c. 13. Nam E discipulo suo, a quo
tradendum se noverat, dulcedine sue bonitatis, nobis trementibus, E
intuentibus sevitiam eorum, qui eum comprehendere venerunt,
osculum dedit. Qui autem eum tradidit, condiscipulus nobis erat.
Ita quod supra meminimus de baptizato a se Rege Stephano, de
Tyranno resuscitato, pariterque cum Satrapis baptizato, de Virgi-
ne Valeria Sponsa regia a nuptiis ad votum virginitatis, inde ad
gladium avocata, & decollata, habent ut in Ep. ad Tolosanos c. 8.
Licet autem Martialis ille Cephas c. 9. in eadem Epist. de nuptiis
videatur satis honorifice loqui, tamen illud quod a se factum me-
morare. g. non est characteris vel moris Apostolici. Prout nuptias
non prohibendas ipse recte agnoscit c. 9. ita nec apud janni Spon-
sos erant dissuadendæ, de quibus valet illud Pauli: *δέ δε τοι γραπτόν*
καὶ μὴ ζητεῖν λύσιν i. Cor. 7, 27. neque ullibi memorantur Apostoli
per suam prædicationem suasisse jam Sponsis, copulam legitimi-
marum nuptiarum devitare, in quo tamen Consilio a se dato
Regi & Sponsæ regia mirifice se effert hic Cephas.

Aurelianus Lemovicensis.

§. i. Hic beneficio Martialis a mortuis excitatus fertur,
& in tanti beneficij gratiam descripsisse vitam S. Martialis, qvæ
Abdie Babilonio, impresso Parisiis anno 1566. addita, legitur, &
titatur a Garesio lib. de invocat. Sanct. pro invocatione San-
ctorum, a Baroni, tom. i. annual. ad a. 74. n. 15. ut probet memo-
riæ dignum quod de Martiali traditur, suscitasse mortuum, ad-
moto baculo S. Petri, quem ab eo sibi datum Roma accepit
Fortè ad hæc respectus Innoc. ext. de sacr. unct. Decre-
tal. lib. i. tit. 15. in fine, ubi Episcopo quidem permittitur ad-
similitudinem alierum pontificum uti baculo: sed additur: Ro-
manus pontifex non utitur baculo pastorali, propter bisioriam. Qvia
U 3 sc. pro-

sc. prout Pontifices non tantum possunt, quantum Petrus, & verbo *surge & ambula!* sanare clados, vel *umbra sanare agrotos* vid. Act. 3, 6. c. 5, 15. 16. ita nec baculus Pontificis tantum, qvam
tum ille Petri, unde ne videantur Petro minores, & baculo pro
dantur, prudenter abstinent. Notum illud Aqvinatis ad Gre
gor X. Pont. Rom. scitè dictum. Cum enim ad hunc in Con
cilio Lugdunensi Neapolitanæ deferrentur pecuniae, & hic illa
immensa nūinmorum vi in rubore in qvāsi datus, ad Thomam
diceret: *Non possumus nunc, ut olim Petrus, fari, aurum & ar
gentem non habemus, respondit ille: sed nec dicere potes clando:*
surge & ambula! Baronius ipse nō ausus rem certam hic pronun
ciare: sed, feruntur, inquit, *Martialis res gestae scriptae ab Aureliano*
egus successore. Nullum tamen dubium qvān fabula sit, non histo
ria, illa de Aureliano traditio, & ipsa vite *Martialis scriptio tota*
mendax vel saltem in fermento est, unde tot in illa *negligentia*
qvalis illa, qvod *Vespasianus Rom. Imperij, Principatum pro Nero*
ne suscepit nempe 14. Neronis anno: cum constet, qvod Neroni
Galba, Galbae Otho, Othoni demū Vitellius, huic *Vespasiang* ses
quianno à Neronis morte successerit: sed plura mendacia hu
jus Aurelianii ex ipsis Pontificiis scriptoribus notavit Johannes &
Lovanio, in censurā de qvibusdam Sanctorum historiis c. 6. m.
Junio ad finem Martyr. & Rivet. crit. l. i. p. 138. 139.

Epistola Lentuli.

§. 1. In monumentis Patrum, inter Epistolas orthodo
xorum Theologorum Latinorum habetur primo loco Epistola
Lentuli Hierosolymorum Præsidis ad S. P. Q. R. qvam citant
non semel Pontificii e. c. pro probandâ *Christi formâ & statu* Joh.
Molan. l. 4. de *Picturis* c. 48. Mendoza Salmanticens
Professor Controv. Theol. q. 5. ut probet *Christum capillos ha
buisse prolixiores & infra aures demissos.* Dubitat tamen de au
toritate & fide illius Epistolæ Pamelius not. in *Apolog.* Tertull.
c. 12. n. 184. Valla autem in dec. contra donat, Constant. *Epi
stola,* inquit, *Lentuli improbè ementita est.*

§. 2. In

§. 2. In Lentuli Epistolā describitur Christus capillos ab humeris volitantes habens & in medio capitū discriminē, juxtamōrem Nazarenorum. Ceterū inter Naziræos ceremoniales, & Christum Jesum, qvi Nazaraeus est conf. Matt. 2. 21. nulla convenientia in ceremoniā, qvæ in illis sive votivis sive indictivis (mixtum enim genus non datur) in primis triplex 1. capillamenti. s. come non radende. 2. Vitis, omniumq; rerum vincentiarum, ipsius in primis vini & potus inebriantibus abstinentiæ. 3. Interdicti accessus & contactus mortui, ut adeò lex esset (1) Naziræus comam non radito. (2) Vite, & qvocunq; Schechar s. inebriante potu abstineto. 3. Ad mortuum ne accedito, nedum funus tangito. conf. Num. 6, 3. & seqq. Atqve Christus de fructu vitis bibit ipse, & bibendum aliis ministravit, imò Christianos in S. Cœnâ de fructu vitis bibere jussit, Matth. 26, 27. & tantum abest ut hic ex lege Nazirei Legalis egerit, ut potius Johanni Naziræo ex inductione abstinenti Luc. 1, 15. opponatur Christus, ut c. v. in Matth. 11, 19. Luc. 7, 34. minimè sanè futurus overemus si prout alioq; vi sub lege factus Gal. 4, 4. fuisse quoq; Naziræus ceremonialis. De mortuorum verò accessu & contactu, plena est tota Evangelistarum historia, illa in primis in qvâ describuntur resuscitationis mortuorum miracula conf. Marci c. 5. 41. Luc. 7, 14. Joh. 11. 38. qvicq; sit de comâ Servatoris, de qvâ tacere malum, qvâm incerta proferre, qvamvis ex ratione Paulinâ 1. Cor. 11. 7. & communī Judæorum usu Christum non aluisse eam, verisimilius visum Junio l. 1. Parall. 8.

§. 3. In eadem Epistolâ corpus Christi tanquam elegans & exquisita forma prædicatur, quale tamen nec agnoverit Tertullianus, qvilib; de carne Christi, non nisi terrena originis signa, nec mirabile carnis terrena conditionem, quin usque adeò nibil novū, s. peregrinum, nihil formæ cœlestis, vel ipsâ nobilitate miraculo deputande admisit, ut nec humana honestatis corpus Christo concesserit, nedum cœlestis claritatis: sed ignobilem, quemq; unusquisq; facile despiceret, affectum, qui illum Dei Filium celaverit, dum verbo tantummodo

modò & factus doctrinā & virtute sola, non formā, homines in sive
porem dederit, ipsiusq; Auditoribus formam despicientibus illam vo-
cem expresseris: unde huic doctrina signa issa? Dubium, an-
nou ante 200. & ultra annos ad hanc Epistolā Lentuli vel sal-
tem historiam Nicephoril. 1. Eccl. hist. c. 40. respectus fuerit
Rabbini Abarbinelis sic in Isaiam c. 53, commentantis: רושע
חנצרי חירך חטו נחמר לזראך אקי חכמיה אחותו שוחה הובא
באנטוליא אנטוליא i. e. Jesus Nazarenus fuit pulcher & venustissimus
adspicu, usque adeò, ut & sapientes Christianorum dicant, fu-
isse illum optimi temperamentii, & convenientissima complexionis &
unde concludere allaboravit, Jesum Nazarenum, non fuisse
seruum illum שפכ' de quo agitur, Isaiae 52. à v. 13, & per
totum cap. 53. quippe עקר ופקטור שחריו ולו יונן רפה חזרכךת
i. e. qui fuerit natura sua turbidus, deformis,
Melancholicus, debilis complexionis & remissa compositionis: quā
hypothesi, & alterā, hic agi de Israele suppositā, miserè puniun-
tur excoecati אֶלְגָרָנִים, ut sc. pro eo, quod hic negant, agi de
Jesu Nazreno, se suamq; gentem transforent in portenta
Melancholica, & monstra visu horrenda.

§. 4. Consonat ferè Lentulo Nicephorus l. alleg. statu-
ens ex traditione majorum: Dominum Jesum egregio vivido &
vultu fuisse, corporis staturam ad palmos prorsus septem. Casari-
em habuisse subflavam, nec nimis densam, ex oculis subflavescentibus
mirificam prominuisse gratiam, capitis capillos tulisse prolixiores &
nec enim unquam novaculam in caput ejus ascendisse: Vultu fu-
isse στόγεος s. tritici maturae scensis cumq; modicā fuscedine ruben-
sis colorem retulisse conf. ibidem pluscula. Nec tacet Nice-
phorus alibi lib. 2. c. 7. de imagine Christi missa ad Abgarum
Edessæ Regulum, ipso Christo faciem sic suam exprimente in
texto lineo. Addit idem: Persarum Regem, misso pictore &
Christi & B. Matris Virginis imaginem egregie pictam accepisse,
quibus parum fidei dandum, res ipsa loquitur.

faciem

*Ad Doctissimum Dominum
LORANOWICZ,
gente Polonum, civitate nunc Aca-
demicum Rostochiensem, mox Witebergensem
publicè RESPONDENTEM.*

*De
Epistolis sub sanctioribus nominibus
seculo I. suppositis.*

Est armis magnus: sed non minor arte Polonus
Quin ab utroq; decus totius orbis habet.
Tu celum Ducibus linquis, studiumq; ministras
Et jam, qvo possis plaudere, nomen habes
Sit felix! & qvi te jam veræ religionis
Ardor habet, semper non gravis urat amor:
Nunc ROSA, nunc Varnus, mox magni Saxonis ora
Leucoris, id qvod haber, conferet alma decus
Regius inde tuo *mons* concertabit honori
Et qvo non, illo majus in orbe, *Caput*.
Tu nunc Magnificis Procerum fer fercula mensis.
Parva licet, tanto nomine nomen habent.

Celerr. Clariss.

*Dn. Responsuro affectum sicut et si voluit
faustissima quaq; semper precaturus*

Augustus Varenius, D.

h. t. Univers. Rostoch. Rector.

Romanis opibus magnis lautisq; culinis
Tractu divino missis felix Loranovi
Nostrum, sincerae modò relligionis amore,
Accedit cætum, ferventi pectori veram

Doctri-

Doctrinam capiens, Papatus dogmata falsa
Acriter impugnas; Jovā Duce victor abibis
Gratulor ex animo multūm tibi. Fautor amande,
De donis magnis tanto & molimine rerum.
Gratiatē Jovæ firmet, te gloria Christi
Illustreret magis & magis, æternitatis coronet.

Ex debito amore ac honore in Clarissimum ac Pereximum
DN. RESPONDENTEM Fautorem et amicum su-
um per amandum ac colendum votivo pectora bac-
paucæ adjudicere voluit

ZACHARIAS GRAPPIUS S.S. Theol.

Lic: & Log: P.P.

Non Tibi Romani Patrii tremebunda probatur
Vox, que definit Dogmata Rægra Patrum.
Divinam Fidei Normam Viteq; tueris,
Que credenda docet, qua facienda monet.
Hancce viam Cœli coepiam calcare memento,
Sic tandem lucri pondera mille seres.

Præclaris: Dn. Resp.

conatibus ita acclamabat


M. Hermannus Becker
P.P.

Vulnificum plumbum purō distinguit ab aurō;
Qui benè discernit Scripta verenda Dei,
Suscipis hanc curam majori laude beandan,
Cum superet Verbum, cuncta metalla, Dei.
Est labor hic durus; Sed vis intendere nervos,
Præmia quippe Tibi Prussia certa dabit,
Ita Precellentis Viro Dn: Seb: And:
Lorakowicz de firmissima
bonæ spei anchora gratulatur
M. Jacobus Börger/Region: Borussiæ.

SEC M L U M

contrarium militare videtur, objici posse
inquit, Seneca stylum suum aliquantulum
brasse, idq; de industria, ut si forte in alienis
nissent, et si inscripta nomine Seneca, potu-
ri non esse Seneca, quandoquidem pericula-
ris tunc erat edictum, Romanum uti fama
Iudei. Citat Sixtus, velut assertionis si-
culo. Hieronymum ex seculo 4. Augustin
hic & ille communicatorias inter Paulum
fuisse testantur, Hieronymus autem mo-
rum Epistolis, Senecam in Catalogo San-
lib. de Script. Eccles. Aug. ep. 54. ad Maced.
datur his Joh: Sarisbariensis, qui deciper-
merentur Senecam, quem Apostolicam fami-
flat. Origo opinionis debetur fabuloso
Pauli, ubi hæc leguntur: Institutior Impe-
lo sc.) amicitia copulatus, videns in eo di-
colloquio illius temperare vix posset, quo m-
loqui non valeret, frequentibus datis & ac-
cedine & amicabili colloquio frueretur.
PseudoLini Sixto Senensi imposuit, ut i-
rum Epistolas judicaret, & de industria Se-
retur, demississe existimaret: unde liquet
Critico sacro) aliquando opiniones non
falsis Actis, etiam doctis alioqui Viris au-
medio relielas, nec ex eorum approbatione
de rerum veritate, si præsertim alia repugn-

§. 2. Ceterum alia est quæstio de
Pauli & Senecæ, de scriptione item, an aliq;
Senecam intercesserit? qvod utrumq; c-
men probabile. Alia quæstio de Episto-
lum sub illo nomine circumferuntur,
autorum? qvod negatur. Fuerint aliq;
si quales nunc sunt, tales fuerunt tempo-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE03 Serial No.